

IACOBI PHILIPPI
TOMASINI PATAVINI
EPISCOPI AEMONIENSIS

BIB
ORZ
P
BB437

ELOGIA

Virorum Literis & Sapientia Illustrum
ad viuum expressis imaginibus exornata.

Ad

SACRAM MAESTATEM CHRISTIANISSIMÆ

REGINÆ ANNÆ

Gallie & Navarre Regentis.



fotor p. 223-236
G. Renuzio

PATAVII, ex Typographia Sebastiani Sardi. M DC XLIV.

SUPERIORVM PERMISSV.

(St. 39)



IOAN. PREVOTIVS RAVRACVS
MEDICINÆ PROFESSOR PATAVII

IOANNES · PREVOTIVS.

Aiori naturæ , quâm fortunæ indulgen-
tiâ Delemonti , quod municipium in
diœcesi Basiliensi , vulgo *Dilsbergæ* , pa-
tre Theobaldo An. salutis M.D.LXXXV.
die IV. Iulij D. Vdalrico Episcopo sa-
crâ ortus , cùm à primis annis præclara
dedisset sublimis ingenij documenta ,
post prima linguae Latinæ rudimenta domi accepta Do-
lam , quæ Burgundiæ Metropolis est , puer missus , Societa-
tis Iesu Patribus porrò erudiendus traditur . Vbi cùm hu-
maniores literas ac dicendi artes didicisset , in Germaniam
reuersus Malshemij ac deinde Dilingæ eorundem Patriū
ductu triennium Philosophiam sublimiorem eâ attentio-
ne hausit , vt iuuenem Anno M. DC. III. Iul. die III. publico
Baccalaurei & Magistri titulo dignum dimiserint . Ingeni-
um ei contigerat acce , atq; ad quasvis disciplinas capiendias
promptum : cui accessit nativa lingue facilitas , vt sum-
mam de se omnibus opinionem moueret . Hinc in dies
ei creuit Magnatum fauor : adeoq; gratus fuit Comiti cui-
dam Imperij , vt ipsum Ratisbonam Anno M. DC. I. in ce-
lebre colloquium inter utriusq; partis Theologos constitu-
tum insigni fauoris arguento assecrâ sibi feligeret , quem
tantum ex constitutione vnum habere licebat . Paulò post
summæ apud omnes in eâ ætate exstationis , Serenissi-
mi Leopoldi Archiducis Austriae , tunc temporis Antititis
Argen-

Argentinensis &c. auctoritate & munificentia in Hispaniam mittitur, ut sacris literis operam nauaret. Patruæ igitur Anno M. DC. IV. 111. Kal. Maij valedicens, natalium suorum morumq; ac disciplinarum liberalium testimonio ab Illustriss. Episcopo Basiliensi, & Societatis Patribus luculenter munitus, Idibus Maij in Italiam penetrauit. Patauium postquam applicuisse, vltierius progreedi dissuadebat estus ingens, qui nauigationem Genuâ in Hispaniam difficiliorem minabatur, imò iuueni satis calido iter, quām conueniebat, laboriosius. Hic itaq; cùm æstatem agere constituisset, ne quid ei temporis inutiliter efflueret, scho-
las publicas quotidie obibat. Incidit fortè inter alios in Herculem Saxoniam, Medicum tunc temporis apprime doctum ac disertum: cuius admiratione cùm aliquoties ad ipsius prælectiones rediret, cæpit tandem instantibus vocationibus publicis Virti clarissimi indicio aliquem sibi poscere medicum scriptorem, cuius lectione non solùm oblectaretur, donec remissori calore se in iter daret, verùm etiam aliquod sibi conseruandæ sanitatis præsidium acquireret. Saxonia, qua erat in exteris humanitate de suâ bibliothecâ ei Ferne lium depromit. Librum quidè lectum cùm possessori redderet, de accusationi porrò studij medici ratione sciscitatur: addens, si qua ipsi affulgeret studio-
rum commoditas, quam iniuerat, vitæ rationem se facili negotio cominutaturum.

Verùm animo ad magna contendenti fortuna hic du-
rior videbatur, cum qua omnino colluctandum esset.
Vnum à literis expectandum erat præsidium. Adolescen-

Gg

tulis

talis ingenuis erudiendis adhibetur optimus iuvenis: quem tamen non deterruit laboris difficultas. Industriâ namq; ipsorum studia dum promouet, quod sibi tempus discessit, lucubrationibus reparat. Otium hoc nactus, quantumvis laboriosum, cum de Medicinâ jam omnis esset cogitatio, ad scholas redit: ubi dissertationibus philosophicis, eo tempore consuetis. Doctoribus, innotuit. Florebat inter ceteros, eâ etate Viros clarissimos: Alexander Vigontia: qui optimus ingeniorum censor Preuoitum sibi à studijs domestici û desiderat. Conditionem libens arripit, ad quam invicabat maximè cum singulari comitate iuncta Viri liberalitas. Medicis itaq; se totum addicit. Herculem Saxoniām eâ sedulitate docente audit; ut singula ferme ejus verba exciperet. Eustachium Rudium præterea, & Io: Thomam Minadoum Præceptores coluit. In primis Hieronymo Fabritio ab Aquâ pendente, cui Anno M. DC. XII. à Natione Germanicâ in Theatro Consiliarius eligebatur, adeò placuit; ut testamento posthumā sua Anatomica ipsius curâ vulgari jussicerit: quod itamen institutum arte hæredum fuit impeditum, ne decretum ab optimo sene laboris præmium exsoluerent: etiam si operam ipse gratis offerret. Alpini etiam, Horti publici Præfecti, necessitudine tantum profecit, ut non exiguo diligentiae argumento postea Doctori successerit. Aristotelicæ disciplinæ notitiam Cæsari Cremonino probauit, qui germanum Philosophi sectatorem censuit. Ingenio autem cum esset versatili ac prompto, Philosophiam sine Mathematicâ cognitione mutuam ratus, Galilei Galilei & Io: Antonij Magini opera eō in ijs de-

ijs disciplinis progressus est, vt Astronomicis & Astrologicis aliquā ingenij laudem jure meruerit. Ne tamen eiusmodi studiorum amoenitatibus à ſerijs diuerteretur, omnes ingenij conatus ad eam potiſſimum Artis rationem intendebat, quæ medendo perficitur. Consilio fuit domesticum Patroni exemplum, qui viii. Idus Martij Anno M. DC. vii. præsentibus Cef. Cremonino, Eustachio Rudio, Benedecto Siluatico, Andregheto Andreghettio, Camillo Bellonio, ac Tarquinio Carpineto postquam ei medicam lauream contulisset Annibal Birbiolus Patauinus Theoricæ Medicinæ ordinariæ Professor primæ sedis, discipulum jam Doctoribus adscriptum ægris familiaribus ſedulò commendauit. Is verò omnibus ita ſe vigilantem ac prouidum oſtendit; vt ſenſim ei credita fuerit Principum exterorum ac Magnatum valetudo: apud quos linguae Germanicæ Gallicæq; uſu plurimum pollebat. Illuſtri in primis Equiti Henrico Vottono, Regis Magnæ Britanniæ apud Venetos Oratori, rerum naturalium peritissimo, eiusq; poſtea ſuccessori Iſaaco VVeck percharus fuit, quod felicem ipsius operam eſſent experti: quam plurimis etiam inter Germanos Principibus ac Magnatibus probauerat. Opinionis non parum momenti attulit vtriusq; Nationis Germanicæ iudicium: quæ Adriano Spigelio in Morauiam excito, alterum ciuem Anno M. DC. xii. xiii. Auguſti vnanimi consensu ſibi Medicum delegebat. Famam hanc augebat in dies medendi dexteritas, quam iugi meditatione ac indefeffis lucubrationibus firmabat. Inde ſummorum medicorum, Casp. Bauhini, Henningij

Arnissæi, Danielis Sennerti, Georgij Nösseri, crebræ ad ipsum de rebus seriis literæ. Venetorum ea quoq; fauorem peperit, atq; in primis Illustrissimi Andreæ Mauroceni Senatoris prudentissimi: cuius adhuc Epistolæ publicè affectum testantur, quem Donatus frater Preuotij Liberis, dum vixit, perennem seruauit. Parem etiam experiebatur animum Nicolai Contareni, quem felicibus Sereniss. Reip. auspicijs Principem vidimus. Nec inferior fuit loco apud Octauianū Bonum summæ prudentię Senatorem, & Nicolaum Contarenum rei herbarię fautorem maximum. Hi certatim in ipsum sua conferebant studia. Nec deerant alij, qui Medico juueni suadebant Constantinopolim, rei augendæ commodam. Quā verò erat animi æquitate, Scholæ magis aptus, fortunæ mediocritatem Patauij prætulit. Postquam igitur decennium integrum Vigontiae contubernio exegisset, Anno M. DC. XIII. xxviii. Martij ab Illustrissimis Gymnasij Moderatorib: Viro clariss. Andreghetto Andreghettio in Lectura III. Libri Auicennæ exiguo ex more Lx. florenorum stipendio sufficitur. Hanc prouinciam dum plenis subsellijs non publicis tantum, sed domesticis etiam Prælectionibus egregie tuetur; Anno M. DC. XVI. XIV. Ianuarij Cathedra hæc CC. florenorum salario aucta. Viro etiam cl. Prospero Alpino jam fatis defuncto, Andreæ potissimum Mauroceni consilio, Horti iuxta publici cura additis Lx. florenis, ipsi cōmittitur: quam in tantâ negotiorum varietate quatuor & decem annos singulari diligentia sustinuit. Eam ne rei domesticæ curâ turbaret, de honesta coniugij ratione cogitauit, è quo, conjugé

conju^ge Magdalena Nicolai Vaselini filia^a, Simonis Vaselini opulentissimam in Hispaniam negotiatoris nepte, præter quatuor filias binos suscepit filios: quorum iunior alter Io. Baptista bonam de se spem præbet: alter annis major Theobaldus in paternæ eruditionis successionem educatur: cui ad profectus compendium non parum animi addere poterunt relicta cum optimis scriptoribus egregia ac eruditionis plena optimi Patris Aduersaria, variaq; Consilia & Prælectiones. Quamuis ex hypotyposi plerumq; breuissima ad Auditores copiose ac diserte verba ficeret. Porro labente iam ætatis Anno xxxvi. Anno M. DC. XX. VI. Maij durante eodem stipendio ad sexennii jam cepti finem à secundo Practicæ extraordinariæ loco, in locum cl. Benedicti Siluatici ad primam extraordinariæ Practicæ sedem promouetur. Eam pari, qua inuenierat gloriâ ut exornaret, omnes ingeniueros intendit. Munere hoc itaq; cotinuato, Sereniss. Principis sententiâ in Collegium Patauinum receptus Anno M. DC. xxii. XII. Nouembris annuum totidem florensum præmium obtinuit: quod Anno M. DC. xxviii. XXX. Ianuarij C. XL. florensis crevit, ut quotannis DC. florensis doceret. Ampliori se autem dignum ostendit. Veterum namq; doctrinam solidè proposuit, ac neuosè, eâ breuitate, quam permisit argumenti amplitudo. Ordinis quam maximè studiosus, de quo se profitebatur semper magis sollicitum, quam de intentione rerum. Disputationes modestè instituit, nec unquam sine necessitate, & veritatis studio, quam ad vitæ usum ubiq; sine omni ostentatione sectabatur: sermonis politiâ vltro attentionis

tionis benevolentiam impetravit, eamq; scholæ frequen-
tiam, quam præter eruditionem promptum omnibus animi
studium merebatur. Viri Eloquentiam ostendunt, quæ
in scrinijs hæredum supersunt, quatuor ac decem oratio-
nes, tum in Horto, tum è suggestu Gymnasij habitæ: quas
vocis lenitate vultuq; ad gravitatem composito verè ani-
mâsse credebatur. Morum verò suavitatem atq; obsequijs
ita Collegas in sui amorem inuitauit, ut raro grauior casus
occurreret, cui non in consilium accerseretur: ubi eruditâ
dissertatione, tum ægris, tum auscultatoriis se se commo-
dum præbuit. Sanctorio summi ingenij Viro in primis
charus fuit, ejusq; successori Pompeo Caimo Polyhistori
Medico, Roderico à Fonsecâ pariter, & Io: Colle Primarijs
Medicinæ Præticæ Professoribus, Benedicto Siluatico
Equiti, qui relictam sibi post hos Viros prouinciam non
minori nominis famâ exornat. De rebus philosophicis
non raro cum Cesare Cremonino & Fortunio Liceo sum-
mis Professoribus acutè disserebat. Laurentium quoq;
Pignorium Antiquitatis famâ clarum eximiè coluit Fa-
brum pariter & Matthiam Ferchium Theologos insignes
Minorum, ut dicunt, Conventualium: cujus ordinis vale-
tudini sollicitè præfuit: Viros etiam clarissimos Io: Domi-
nicum Salam & Andreghettū de Andreghettis Artis Me-
dicæ Professores Theoricos sibi mirè propensos habuit.
Nec inferior ipsi cum Medicis Venetis amicitia intercede-
bat, maximèq; cum Michaële Angelo Rotâ, olim studio-
rum conseclaneo: quorum omnium affectus prudenti co-
mitate demerebatur. Eam deniq; apud primores urbis
ciues

cives singulari diligentia & prudentia de se opinionem concitauerat; ut plerique suæ valetudini admouerent. Nec raro Venetias vocabatur: in primis ad Sereniss. Principe in Franc. Contarenum: cui dubiè admodum decumbenti contra multorum sententiam, bono euentu, salutem prædixit, egregio postea munere decoratus. Hisce tamen gloria inijs minimè contentus, quicquid in Arte recens inuenitum curiosè inuestigabat, Recentiorum scripta iungens Antiquis: minimè horrens Spagiricorum inuenta, quæ ad Dogmaticorum leges reuocabat. Veterum obseruationes pro re actâ suis experimentis censebat. Ægrotantium visitationibus cum totum diem impenderet; studijs horæ supererant vespertinæ, quas ille ad lucernam ante coenam perquam frugalem protrahebat: egregia corporis specie satis validus, nec facile morbis, nisi quandoq; destillatio, studiosis frequenti, obnoxius. Hippocrate, Galen, & Avicennam familiares habuit: quorum scita tradidit suis auditoribus. Inuestigandis obscuriorum causis pri- mū, quid suo posset ingenio, explorauit; alios deinde scriptores ad consensum adjit. De quibus ingenio semper animo, sine partium studio libere iudicium tulit apud disci- pulos & familiares sibi comites, quos in diversis Europæ partibus magno Reip. bono reliquit doctrinâ & medendi peritiâ claros: inter quos eminent hodie in Belgio Adolphus Vorstius, & Fortunatus Plemius: in Germania Vernerus Roflinckius, Medicinæ Professores celeberrimi. Domestica ejus disciplinæ apud nos exempla eminent Vi- ticlariss. Io. Vessingius Primarius Anatomiz & Phar- macia:

maciae Professor: Io. Baptista Soncinus non ita pridem Patatij Practicæ Extraordinariae Professor Primarius: cui id laudis accessit, quod post felicem in patriâ apud Brixenses Artis exercitationem Præceptoris munus dignè sustineat, nunc ad supremam Practicæ ordinariæ cathedram à magno Etruriæ Duce Pisam accitus. Antonium quoq; Gambarum Patauinum doctorem adhuc superstes è suggestu docentem audiuit. Reliquos summæ spei Iuuenes fatalis vrbi pestis suscultur. Superstitem sors voluit D. Carolum Auantium medicum peritum, Rei in primis Herbariæ scientiâ etiam ultra Alpes notum. Inter familiares intiomori necessitudine junctos, vitæq; veluti testes charos habuit cl. Viros Benedictum Priolaum, Gallum, & Io. Rhodium, Danum, amicum nostrum: à quo bonâ fide accepimus, meres Viri fuisse apertos, animum erga suos benignum, hilarem, in ministeria & domesticos, præterquam in liberos, etiam iusto mitiorem, liberalem supra fortunam, maximeq; in musarum alumnos, aut quos de meliori loco precipitauerat sors iniquior. Illud peruagatâ famâ notum est, ad lucruu minus fuisse attentum, ægris cujuscunq; conditionis sine vllâ præmij spe libenter adfuisse. Suos tamem liberos, non paruo questus argumento, in re satis honestâ reliquit, fortunæ moderationē sequutus: cuius plurima nec ficta in ipso indicia elucebant. Defunctâ namq; coniuge ad secundas nuptias rediit cum Elisabethâ Miani, parùm veritus numerosioris familæ onus: quam uno tantum filio Petro, qui, nobis hæc scribentibus, Anno M. DC. XLIII. sublatus variolis, & ynica filiolâ Cæciliâ augiorem

tiorem reliquit. Sed & Bononiam paucis ante obitum
annis ad Claudini cathedralm, ut vocant, supraemitien-
tem publicis literis à clariss. ejus Gymnasij Professoribus
Melchiore Zoppo & Andrea Mariano allatis inuitatus,
proposito ducentorum supra mille Coronatorum stipen-
dio annuo; sumnum honorem ingentemq; senatus libe-
ralitatem modestè posthabuit beneficentię ac æquitati Ve-
netorum: quos primos suæ fortunæ auctores porrò sui ra-
tionali habituros credebat. Nec spes irrita cogitationes
sefellit. Iam quippe Sapientiss. Moderatores Gymnasij
ob fidem ac reuerentiam Sereniss. Reip. neglectâ lauitioni
conditione, seruatam Preuotium, eruditionis famâ clarissi-
mum, sublimiori loco dignum censuere. At summo re-
rum arbitro aliter visum. Peste quippe Anno M.DC. XXXI.
urbem vastante, dum veteris officij memoriâ creditas sibi
familias deserere noluit, prouidè quidem in vicis auxilia
suggerens, pedissequus parum cautâ cum alijs conuersatio-
ne in aedes, cæteroquin absente hero clausas, contagium
introduxit. In Hortum igitur Preuotius xx. Iulij cum
vxore & minori filio secedit, vt suæ saluti consuleret. Ve-
titio cum alijs commercio, cùm rebus dilponendis se paulò
grauius exercuisset, jamq; animus in aduersa satis alioquin
obfirmatus quatuor è primo conjugio filiarum jaeturâ nō
parum moueretur; vehementi æstu percita febris Vito sa-
gaci non vanam delirij suspicionem mouit. Animo itaq;
adhuc integro, perpetuis sudoribus extrema minantibus,
solenni ritu supremæ voluntatis codicillum condidit: non
omissis interea præsidijs, à quibus salus sperari posset. Iis

verò nihil proficiuntibus cùm in dies malum cresceret, solutis tandem viribus annos natus XLVI. Anno reparatae Salutis M: DC. XXXII. 111: Augusti horâ XIV. Naturae satisfecit, in D: Antonij Basilica ad Polonorum Aram conditus. Cujus memoria quamuis Medicis verè fortunati exemplo famæ aeternitate perennet; dolentiam tamem quod præclaros animi conatus anteuerterit præmatura fati celeritas. Iam n. Stirpium in agro Parauino Indicem auspicatus erat: quem non licuit perexere. Fucundam quoq; Medicinam incloarat: sed extremam operi manum addere vetuit occupationum moles: quemadmodū & Definitiones Affectionum Particularium Analyticus concinnè digestas: quibus peculiari commentario Determinata singulis Remedia secundum Loca; Empirica Rationalis titulo cōquitebat: sed parū progressus, velut in Remedijs quoq; Selectioribus Calendarium Oeconomicum horis subeisiuis ingeniosè conscriptum, atq; ab Amicis lectum, colophonte m̄d̄siderat. Rariorum ad hæc Observationum Practicarum cum Exegesi Theoriæ Centuriam promiserat. Meditabatur preterea Commentarium de Humoribus: de Vrinis, & Pulsibus: de Virtutib; Ægrorum: Simplicium Visualium Historiam: & vires: Errores Principum Medicinæ: de Inflammationibus internis: Scopulos Medicinæ, sive debis que à Medico perfecte sciri non possunt.

In scriinijs integrè lēuantur, quæ potius Auditorum vñi, quam ad pomparam domi dictabat, per otium sub incedem reuocandā: quamuis & postea Eruditorum iudicio lucem videantur ineruisse.

133

Institutionū Medicinæ Practicæ nomine Tract. IV. quorum

I. De Signis.

II. De Methodo Medendi.

III. Elenchus Medicamentorum, quæ cūm uniter et surpantur.

Hunc Anno M. DC. XL. Jo. Stephanus Medicus Venetus
vulgauit, ab eo longè diuersum, quem hæredes possident.

IV. De ratione Præparandi & componendi medicamenta.

Accessit peculiaris *De ratione componendi medicamenta in
communi Libellus*, qui verius tertium inter hos modò enu-
meratos locum obtinet. Omnium hic Authoris ingenio
dignissimus nuper in Germaniâ editus est curâ V. Cl. Fri-
derici Monauj Medici & Botanici eximij.

Methodus recitandorum Casuum.

Medicina Pauperum.

Tractatus de Penenis, & Alexipharmacis. Hoc juxta libellos in lucem produxit Ioannes Beierus Biblio pola-
Francosurtensis, sed variè interpolatos ac mutilus. Inven-
tatores à Theobaldo filio expectantur.

Eius de *Plicâ Polonica Consilium* Daniel Sennertus suæ
Praxi Medicæ inseruit.

Viri merita in scholis publicis Natio Germana ad ipsius
Insignia hac Inscriptione prosecuta est.

IOANNI PREVOTIO RAVRACO
PHILOSOPHO AC MEDICO INSIGNI.
PRACTICAE EXTRAORDINARIAE
PROFESSORI PRIMARIO.
CIVI ET DOCTORI DESIDERATISSIMO.
NATIO GERMANA ARTISTARVM POSVIT
AN. M. DC. XXXIV.

Hh 2

Tho.

Thomas quoq; Bartholinus, Caspari filius, Danus hoc
eius meritis elogium sacravit.

Ad eotum natus doctri Preuoitius orbis

Mox strinxit votis Numinia cuncta suis,
Et redditura gradu simili dum vota resurgunt,
Vota Patauini non peritura vocant.

O C T A V I V S R V B E V S.



Larissimus rerum Brixienium scriptor, Iacobo de Rubeis natalibus splendido, & Hippolytâ ex nobili Scarpi familiâ anno salutis humanæ M. D. LXX. Die xxviii. Iulij horâ xi. min. xxx. natus, cùm puer mirâ eluceret in dolo, & ad maxima quæq; aptus videretur, à parentibus mature studijs admouetur. Literas in primis humaniores & græcam linguam à Prospéro Martinengo Monacho Cassinensi didicit: deinde in Gymnasio Patauino reliqua animi ornamenta, quæ ex scientiarum possessione exoriuntur, consecutus est: ubi tandem meliori fato rotum se ad Poësim & Historiam applicuit. Sed cùm naturæ propensione ad Antiquitatis studia raperetur, perlustratis plerisq; Italæ Gymnasijs, Romam contendit: ubi ex cl. Vitorum, atq; in primis Bellarmino ac Baronij summi è tempestate nominis familiaritate, multiplici rerum cognitione & eruditione animi culturam auxit. Neapolitanum quoq; regnum intrisit: deinde in Germaniam concessit, ac Hungariam: ubi architec-

turæ